

*68. Instrumentum venditionis
di Isolda in favore del cognato
Martino de Laurentiana*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*68. Instrumentum venditionis
di Isolda in favore del cognato
Martino de Laurentiana*

1372-07-12

(c. 297v) In nomine Domini millesimo tricentesimo septuagesimo secundo, regnante serenissima domina domina nostra Ioanna Dei gratia Hierusalem et Sicilie regina, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum vero eius anno tricesimo feliciter amen, die duodecimo mensis iulii, decime inditionis, apud Vineolam.

1

Nos Nicolaus Pallonus idiota annalis iudex ditte terre, Angelus de Gaudio de Potentia habitator ditte terre Vineole, publicus ubilibet per regnum Sicilie regia <et reginali> autoritate notarius et subscripti testes de eadem terra Vineole, viri litterati ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico fatemur, notumfacimus et testamur quod preditto die in nostri presentia constituta Isolda mulier, uxor mei predicti notarii Angeli de Gaudio, ex parte una, et Martinus de Laurentiana, habitator civitatis Potentie, nomine et pro parte Angeline uxoris sue ac sororis ditte Isolde ex parte altera, predicta vero Isolda, cum consensu et autoritate mei qui supra notarii Angeli, viri et legitimi mundualdi sui, non vi, dolo, metu, seu aliqua suasionem indutta, sed sua libera et spontanea voluntate vendidit et per fustem tradidit et assignavit iure proprio et inperpetuum eidem Martino presenti, ementi et recipienti nomine et pro parte ditte Angeline uxoris sue et heredum et successorum, totam et integram partem sibi contingentem, ut dixit, ex successione hereditatis condam Rogerii de Raimundo patris sui in subscriptis petiis terrarum sitis // (c. 298r) in tenimento ipsius civitatis Potentie, subscriptis locis et contratis ac finibus designatis, quas se dixit habere, A anno

tenere et possidere in comuni et pro indiviso cum loco Santi Laurentii de Padula et cum Ioannello de Madio de ditta civitate Potentie, una similiter cum prefata Angelina sorore sua emptrice, videlicet in omnibus terris emptis per condam Iulianum et Raimundum de Raimundo a Iacobino filio condam Iurdanis de sire Domni santi in tenimento ipsius civitatis Potentie, in contrata Montis de Orlano, quarum a duabus partibus, ut dixit ditta venditrix, tenet ecclesia Santi Girardi mediante limite comuni, a duabus aliis partibus sunt terre que fuerunt condam Girardi de Madio, ab altera vero parte sunt terre que fuerunt Laurentii Catualdi et Antinori Catualdi et si qui alii sunt confines; item in terris omnibus emptis per prefatos Iulianum et Raimundum a condam Girardo de Madio, sitis in ditto tenimento Potentie in contrata Fontis de Spina, Fontis de Talera et Praticellorum: ab una parte ipsarum terrarum sunt terre que fuerunt dittorum condam Iuliani et Raimundi mediante cursu aque ditte Fontis de Calera, terra ecclesie Santi Girardi et heredum condam domini Nicolai de Stampis, ab altera parte tenent heredes condam Riccardi de Roto et Petrus Cortius mediante via qua itur ad fontem contrata Montis de Orlano, a tertia et quarta parte tenet ditta ecclesia Santi Girardi et si qui alii sunt confines, ut dixit ditta venditrix; item in terris aliis emptis per eosdem Iulianum et Raimundum a // (c. 298v) ditto Girardo de Madio, sitis in ditto tenimento Potentie, in contratis Iardenis, Vallis Apeti et contrata Montis de Orlano, quarum a duabus partibus sunt terre que fuerunt dittorum Iuliani et Raimundi, a tertia parte tenet ecclesia Sante Trinitatis, a quarta vero parte est via publica per quam itur a terra Potentie ad terram Lacupensuli et si qui alii sunt confines, ut dixit ditta venditrix; item in terris emptis per eosdem Iulianum et Raimundum a Porrano

de Grano de Potentia, sitis in ditto tenimento Potentie, in contrata Fontis de Spina, quarum ab una parte sunt terre que fuerunt preditti condam Girardi de Madio, a secunda parte tenet ecclesia Santi Girardi, a tertia parte sunt terre que fuerunt condam Petri Mariosi et si qui alii sunt confines; item in petia una terre empta per predittos Iulianum et Raimundum a Roberto de Franco et Perrono de Franco, sitam in ditto tenimento Potentie in contrata Fontis de Spina, cuius ab un parte tenet preditta ecclesia Santi Girardi mediante limite comuni, a secunda et tertia parte sunt terre que fuerunt preditti condam Girardi de Madio mediante limite comuni, a quarta vero parte est vallonus Fontis de Spina et si qui alii sunt confines; item in petia una terre empta per prefatos Iulianum et Raimundum a <dicto> condam Iacobino de sire Odone, sita in ditto tenimento Potentie, in contrata Fontis de Calera, cuius ab una parte tenet preditta ecclesia Santi Girardi mediante cursu aque ditte fontis, a secunda parte sunt // (c. 299r) terre que fuerunt preditti condam Girardi de Madio mediante vallono, a tertia parte sunt terre que fuerunt Laurentii Catualdi mediante limite, a quarta vero parte tenent heredes condam domini Nicolai de Stampis, mediante limite, et si qui alii sunt confines ad habendum, tenendum, possidendum, vendendum, donandum, permutandum nec non et quocumque modo voluerit alienandum predittam partem terrarum prefatarum, cum accessibus et egressibus suis usque in vias publicas omnibusque iuribus et pertinentiis suis; pro quibus ditta venditrix coram nobis fuit confexa et contenta se presentialiter et manualiter recepissee et habuisse ab eadem Angelina, sorore sua, nomine pretii in carlenis argenti duobus pro tareno quolibet et sexaginta per unciam computatis, uncias

sex ponderis generalis, totum silicet pretium venditionis ipsius; renuntians ditta venditrix, cum autoritate preditta, exceptioni non solute, non numerate, non tradite et non assignate sibi preditte pecunie, non ponderate seu electi argenti, legi ressissorie qua deceptis ultra dimidiam iusti pretii subvenitur, exceptioni doli mali, metus, vix et in fattum, beneficio restitutionis in integrum et omni alii legum et iuris auxilio quo vel quibus ditta posset venditio seu confexio seu huius subscripti tenor in aliquo annullari. Promittens ditta venditrix per se suos heredes eidem Martino de Laurentiana presenti et quo supra nomine promissionem eandem recipienti, litem vel controversiam eidem Angeline et suis heredibus de // (c. 299v) anteditta parte terrarum ullo tempore non inferre nec inferenti consentire, sed ipsam tam in proprietate quam in possessione sibi et suis heredibus ab omni homine et universitate legitime defendere, antestare et disbrigare et predittam venditionem et omnia et singula supra et infrascripta firma et rata habere perpetuo et tenere et numquam contrafacere vel venire, per se vel alium, aliqua ratione vel causa, de iure vel de fatto, sub pena dupli pretii supraditti, medietate ipsius pene reginali curie et reliqua medietate <dicte> Angeline vel suis heredibus persolvenda, me preditto notario publico pro parte ditte curie et ditto Martino <nomine et pro parte> pro parte ditte Angeline uxoris sue sollemniter et legitime stipulantibus penam ipsam; qua pena soluta vel non aut gratiose remissa, preditta omnia et singula firma perdurent. Iurans insuper ditta venditrix, cum authoritate ut supra, eidem Martino quo supra nomine iuramentum eundem recipienti, ad Santa Dei Evangelia corporaliter tatta predittam venditionem et omnia et singula suprascripta firma, rata habere

perpetuo et tenere et nunquam contrafacere vel venire,
per se vel alium, omni dolo et fraude cessantibus;
item voluit et mandavit ditta venditrix quod si aliqua
iuris sollemnitas in presenti instrumento deficeret, ut
tacite intelligatur in eo et quod possit iterum fieri per
manus mei preditti notarii bis et ter et quotiens opus
erit ad consilium sapientium, veritatis substantia // (c.
300r) non mutata. Quod autem superius inter tricesimam
sextam et tricesimam septimam lineam ubi legitur «quam
possessione», interlineatum et emendatum est per me
supradictum notarium, non vitio, sed errore.

2

3

4

5

6

7

8

9

10

A Palloctinus

A per fustis traditionem

A suorum

A fratris

A Iordani de sire Adone

A scitis

A Oclano, *qui e in seguito*

A Cutualdi *qui e in seguito*

A Colera

8

11

12

13

14

15

16

Et taliter ego idem Angelus de Gaudio publicus ut
supra notarius presens publicum instrumentum propria
manu scripsi qui predictis rogatus interfui et meo solito
signo signavi. (SN) † Signum crucis proprie manus
Nicolai Pallottini qui supra iudicis scribere nescientis
† Ego dominus Rogerius Pallottinus testis sum † Ego
notarius Simeon de Soldano de Vineola testis interfui †
Ego Rogerius de Iacobello testis interfui † Ego Iordanus
de Gaudio testis interfui

A Cornus

A Aperi

A Perrono de Franco

A scripti

A auctorizare

A Colera